

non erit quid ibi agamus. Non dico die ac nocte, ubi nox non est; sed toto die, cum unus dies est, non erit quid ibi agamus, nisi laudemus quem diligimus, quia tunc et videbimus. Modo non visum desideramus, et laudamus: tunc visum quod amamus, quomodo laudabimus? Sine fine erit laus, quia sine fine amor. Quia ergo hoc ibi agemus, ideo, « Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo. Beati enim qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te ¹. » Modo impedit carcer, quia, « Corpus quod corrumpitur, aggravat animam: » non corpus aggravat animam (nam et tunc habebimus corpus:) sed corpus quod corrumpitur. Ergo carcerem facit non corpus, sed corruptio. « Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo. » Jam vox quæ sequitur, ex capite sonat Domini nostri Jesu Christi. Et est talis ipsa, qualis hesterna ultima. Hesterna enim ultima, si meministis, hæc fuit: « Singularis ego sum donec transeam ². » Et hic quæ est ultima? « Me sustinebunt justi, quoadusque retribuas mihi. »

¹ Sap. ix, 15. — ² Psal. cxl, 10.

ENARRATIO

IN PSALMUM CXLII.

Sermo ad populum.

I. DE Psalmo, quem cantavimus, loquar quod Dominus dederit, Charitati Vestræ. Hesterno die Psalmus brevior tractabatur, sed spatium temporis dabat nobis copiam etiam de paucis multa dicendi: nunc quoniam prolixior Psalmus est, non debemus, tantum in singulis versibus immorari; ne forte non concedat Dominus facultatem, ut totum peragere valeamus.

II. Titulus Psalmi est, « Ipsi David, quando eum filius suus persequabatur ¹. » In Regnorum libris novimus hoc factum esse, exitisse inimicum Abessalon patrisuo², gessisse contra illum non solum civile, verumetiam domesticum bellum: illum autem non dejectum inique, sed humiliatum pie, accepisse a Domino disciplinam; sustinuisse medicinam, non retribuente iniquitati iniquitatem, sed paratum cor habuisse ad sequendam Domini voluntatem. Ille David ita laudabilis: sed alius David vere manu fortis, quod interpretatur David, Dominus noster Jesus Christus agnoscendus est nobis. Præterita enim illa facta figuræ fuerant futurorum: nec diu commendandum est quod sæpe audistis, quod optime retinetis. Quæramus ergo in hoc Psalmo Dominum et Salvatorem nostrum Je-

¹ Psal. cxlII, 1. — ² Reg. xv, 14 et seq.

sum Christum prænuntiantem se per hanc prophetiam, et quid futurum esset in hoc tempore, per ea quæ pridem facta sunt prædicantem. Ipse enim se in Prophetis prædicabat; quoniam ipse est Verbum Dei: nec illi tale aliquid dicebant, nisi pleni Verbo Dei. Annuntiabant ergo Christum, pleni Christo: et illi eum venturum præcedebant, quos præcedentes non deserebat. Agnoscamus ergo quemadmodum et Christum persequeretur filius suus: habebat enim filios, de quibus dicebat, « Non jejnant » filii sponsi, quandiu cum eis est sponsus: cum autem » ab eis ablatus fuerit sponsus, tunc jejnabunt filii » sponsi¹. » Ergo filii sponsi, Apostoli: et inter hos persecutor Judas diabolus. Passionem itaque suam in hoc Psalmo prædicaturus est Christus, audiamus.

III. Rursus autem ad hoc intentam facimus Charitatem Vestram, non docendo quod ignoratis, sed admonendo quod nostis; Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum caput esse corporis sui, illum unum mediatorem esse Dei et hominum, hominem Jesum², natum ex virgine, tanquam in solitudine, sicut in Apocalypsi audivimus. Per solitudinem quippe arbitror, quod solus ita natus est. Hunc enim illa mulier peperit, rectorum populum in virga ferrea³. Hæc autem mulier, antiqua est civitas Dei, de qua in Psalmo dicitur: « Gloriosa dicta sunt » de te, civitas Dei⁴. » Hæc civitas initium habet ab ipso Abel, sicut mala civitas a Caïn⁵. Antiqua ergo ista civitas Dei, semper tolerans terram, sperans cælum, quæ etiam Jerusalem vocatur et Sion. Utique de nato quodam in Sion, et conditore ipsius Sion, Psalmus quidam dicit: « Mater Sion, dicet homo. » Quis homo? « Et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus⁶. » De-

¹ Matth. ix, 15. — ² 1 Tim. ii, 5. — ³ Apoc. xii, 5, 6. — ⁴ Psal. lxxxvi, 3. — ⁵ Gen. iv, 8 et 17. — ⁶ Psal. lxxxvi, 5.

nique ipse in Sion factus est homo, sed humilis factus est homo; et idem ipse Altissimus fundavit eam civitatem in qua factus est homo. Itaque et illa mulier sole cooperiebatur¹, Sole ipso justitiæ, quem non cognoscunt impii: qui dicturi sunt in fine, « Ergo erravimus a via veritatis, » et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est » nobis². » Est ergo quidam Sol justitiæ, qui non oritur impiis. Cæterum istum solem facit oriri super bonos et malos³. Ergo et amicta erat sole, et gestabat visceribus masculum paritura. Idem ipse erat condens Sion, et nascens in Sion: Et illa mulier civitas Dei, ejus luce protegatur, cujus carne gravidabatur. Merito et lunam sub pedibus habebat, quia mortalitatem crescentis et decrescentis carnis virtute calcabat. Ergo ipse Dominus Jesus Christus caput et corpus: voluit enim etiam loqui in nobis, qui dignatus est mori pro nobis: membra sua nos fecit. Aliquando itaque ex persona membrorum suorum loquitur, aliquando ex persona sua, tanquam capitis nostri. Habet aliquid ille quod dicat sine nobis, nos sine illo nihil possumus dicere. Apostolus dicit: « Ut suppleam quæ de » sunt pressurarum Christi, in carne mea⁴. Ut suppleam, » inquit, quæ desunt pressurarum, non mearum, sed » Christi: in carne, non jam Christi, sed mea. » Patitur, inquit, adhuc Christus pressuram, non in carne sua, in qua ascendit in cælum, sed in carne mea, quæ adhuc laborat in terra. Christus, inquit, pressuram patitur in carne mea: « Vivo enim non jam ego, vivit vero in me » Christus⁵. » Nisi enim Christus et in membris suis, hoc est, fidelibus suis pressuram ipse pateretur, Saulus in terra Christum in cælo sedentem non persequeretur. Denique aperte hoc exponens quodam loco: « Sicut enim

¹ Apoc. xii, 1. — ² Sap. vii, 6. — ³ Matth. v, 45. — ⁴ Coloss. i, 24. — ⁵ Gal. ii, 20.

» corpus unum est, inquit, et membra multa habet, om-
 » nia autem membra corporis cum sint multa, unum est
 » corpus: ita et Christus¹. » Non ait: Ita et Christus et
 corpus: sed, « Corpus unum membra multa, ita et Chris-
 » tus. » Totum ergo Christus. Et quia totum Christus,
 ideo caput de cœlo, « Saule, inquit, Saule, quid me per-
 » sequeris²? » Tenete hoc, et fixum omnino commendate
 memoriæ, tanquam filii ecclesiasticæ eruditionis et fidei
 catholicæ, ut agnoscatis Christum caput et corpus, eum-
 demque Christum verbum Dei unigenitum æqualem Patri;
 et inde videatis quanta gratia pertingatis ad Deum, ut ipse
 voluerit esse nobiscum unus, qui est cum Patre unus.
 Quomodo cum Patre unus? « Ego et Pater unum su-
 » mus³. » Quomodo nobiscum unus? « Non dicit, inquit,
 » Et seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno,
 » Et semini tuo, quod est Christus⁴. » Sed ait aliquis, si
 Christus semen Abrahæ, numquid et nos? Mementote,
 quia semen Abrahæ Christus: ac per hoc si et nos semen
 Abrahæ, ergo et nos Christus. « Quomodo unum corpus
 » multa membra, ita et Christus. Et quotquot in Christo
 » baptizati estis, Christum induistis. » Nempe semen
 Abrahæ Christus: nec contradici potest apostolicis aper-
 tissimis verbis, « Et semini tuo quod est Christus. » Vi-
 dete quid nobis dicat: « Si autem vos Christi, ergo semen
 » Abrahæ estis⁵. » Ideo magnum est illud sacramentum:
 » Erunt duo in carne una⁶. » Apostolus dicit: « Sacra-
 » mentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et
 » in Ecclesia⁷. » Christus et Ecclesia, duo in carne una.
 Refer ad distantiam majestatis duo. Duo plane. Non enim
 et nos Verbum, non enim et nos in principio Deus apud
 Deum, non enim et nos ille per quem facta sunt omnia⁸.

¹ 1 Cor. xii, 12. — ² Act. ix, 24. — ³ Joan. x, 30. — ⁴ Gal. iii, 16. —
⁵ Ibid. 16 et 27-29. — ⁶ Gen. ii, 24. — ⁷ Ephes. v, 32. — ⁸ Joan. i, 1.

Venitur ad carnem, et ibi Christus et ille et nos. Non ergo
 miremur in Psalmis: multa enim dicit ex persona capitis,
 multa ex persona membrorum: et hoc totum tanquam
 una persona sit, ita loquitur. Nec mireris, quia duo in
 voce una, si duo in carne una.

IV. Judas filius sponsi persequens sponsum. Hoc tunc
 contigit; an et futurorum exemplum præmissum est?
 Multos enim falsos fratres passura erat Ecclesia, ut et
 adhuc et usque in finem sponsum illum filius persequa-
 tur. « Si enim inimicus exprobrasset mihi, sustinuissem
 » utique, ait; et si is, qui oderat me, super me magna
 » locutus fuisset, abscondissem me utique ab eo¹. » Quis
 est inimicus? quis est qui oderat me? Qui dicit, Quis est
 Christus? Homo fuit Christus, nec vivere potuit, cum
 vellet vivere: et mortuus est, inquit, nolens, evictus,
 crucifixus, occisus. Inimici ista dicunt. Apertus iste inimicus
 est, ait Christus, odit me, apertas mihi indicit inimicitias:
 facile est istum vel tolerare vel vitare: quid facio de Abes-
 salon? quid facio de Juda? quid de falsis fratribus? quid de
 malis filiis et tamen filiis, qui non contra nos blasphemant
 Christum, sed nobiscum adorant Christum, et in nobis
 persequuntur Christum? De quibus consequenter in eodem
 Psalmo dicitur: Alium facile erat perferre, eum qui oderat
 me; vel abscondere me ab eo. Abscondis enim te a pagano
 intrans Ecclesiam. Quando autem et ibi invenis quod times,
 quid quæris ubi te abscondas? Denique ille ipse Apostolus,
 qui gemit in periculis a falsis fratribus, « Foris, inquit,
 » pugnae, intus timores. Si ergo is qui oderat me, super
 » me magna locutus fuisset, abscondissem me utique ab
 » eo: tu vero unianimis meus². » Unanimem dicit, tan-
 quam unum in Christo. Est ergo Ecclesiæ quod ferat fo-
 ris, gemat intus: inimicos tamen suos deputet foris et

¹ Psal. lrv, 13. — ² 2 Cor. vii, 5, et Psal. lrv, 13, 14.

intus; foris facilius evitabiles, intus difficilius tolerabiles.

V. Dicat ergo Dominus noster, dicat Christus nobiscum totus Christus. « Domine, exaudi orationem meam, » percipe auribus precem meam¹. » Hoc est, « Exaudi; » quod, « Percipe auribus. » Repetitio, confirmatio est. « In veritate tua exaudi me, in tua justitia. » Ne utcumque accipiatis, cum dicitur: « In tua justitia. » Commendatio est enim gratiæ, ne unusquisque nostrum justitiam suam putet. Hæc enim justitia Dei est, quam ut habeas Deus dedit. Nam qui voluerunt de sua justitia gloriari, quid de illis dicit Apostolus? Testimonium eis, inquit, perhibeo, quia zelum Dei habent. De Judæis loquens: « Zelum Dei, inquit, habent, sed non secundum scientiam². » Quid est, « Non secundum scientiam? » Quam enim tu commendas utilem scientiam? Numquid illam, quæ cum sola fuerit inflat; quæ nisi comitata fuerit charitate, non ædificat³? Non utique ipsam: sed illam scientiam comitem charitatis, magistram humilitatis. Vide si ipsa est: « Zelum, inquit, Dei habent, sed non secundum scientiam. » Exponat quam dicat scientiam: « Ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere, » justitiæ Dei non sunt subjecti⁴. » Qui ergo volunt constituere justitiam suam? Qui quod bene fecerint, sibi imputant, quod male, Deo: omnino perversi. Denique recti erunt, cum hoc ipsum converterint. Perversus ideo, quia quod male, Deo; quod bene, tibi: rectus eris, quando quod male feceris, tibi; quod bene feceris, Deo. Non enim ex impio juste viveres, nisi ab illo justus factus, qui justificat impium⁵. Ergo, inquit, « In veritate tua exaudi » me, in tua justitia, non in mea: ut inveniar in illo » non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam

¹ Psal. cxlii, 1. — ² Rom. x, 2. — ³ I Cor. viii, 1. — ⁴ Rom. x, 3. — ⁵ Id. iv, 5.

» quæ est ex fide¹. » Ecce, « In tua justitia exaudi me. » Ad me enim cum respicio, nihil aliud meum quam peccatum invenio.

VI. « Et ne intres in iudicium cum servo tuo². » Qui cum illo volunt intrare in iudicium, nisi qui ignorantes Dei justitiam, suam volunt constituere? « Quid est, quod » jejunavimus, et non vidisti, defraudavimus animas nostras, et nescisti³? » Tanquam dicentes: Fecimus quod jussisti, quare non reddis quod promisisti? Respondet tibi Deus: Ut accipias quod promisi, ego dabo: ut faceres, quare acciperes, ego dedi. Denique superbis talibus loquitur Propheta: « Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus⁴. » Quid vultis mecum in iudicium intrare, et vestras justitias commemorare? Commemorare justitias vestras, ego novi facinora vestra. Quomodo approbabo justitiam, ubi damnabo superbiam? Merito iste humilis in corpore Christi, discens a capite quoniam mitis est et humilis corde⁵, « Ne » intres, inquit, in iudicium cum servo tuo. » Non litigemus, nolo tecum habere causam, ut ego proponam justitiam meam, tu convincas iniquitatem meam: « Ne » intres in iudicium cum servo tuo. » Quare hoc? quare timet? « Quoniam non justificabitur coram te omnis vivens. Omnis vivens, » hic utique vivens, in carne vivens, moriturus vivens, natus homo, ex hominibus vivens, de Adam, Adam vivens: omnis ita vivens justificari forte potest coram se, non coram te. Quomodo, coram se? Sibi placens, tibi displicens: « Coram te autem non justificabitur omnis vivens. » Noli ergo mecum intrare in iudicium, Domine, Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me

¹ Philip. iii, 9. — ² Psal. cxlii, 2. — ³ Isai. lvi, 3. — ⁴ Jerem. ii, 29. — ⁵ Matth. xi, 29.

ad eam, et pravus invenior. « Ne intres in iudicium cum » servo tuo. » Bene, « Cum servo tuo. » Indignum est tibi cum servo tuo intrare in iudicium, nec quidem cum amico tuo : quia, « Vobis dico amicis meis¹, » non dices, nisi ex servis amicos tu ipse fecisses. Tu licet dicas amicum, ego confiteor servum. Misericordia indigeo, fugitivus redeo, pacem quæro, non sum dignus vocari filius tuus². « Ne intres in iudicium cum servo tuo ; quoniam » non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ante » mortem ne laudes hominem quemquam³ : » Omnino « Omnis vivens. » Quid ipsi arietes, quid ipsi Apostoli, de quorum prole dicitur : « Afferte Domino filios arietum⁴? » Ex his Paulus est, qui dicit non se esse perfectum : « Non quia jam acceperim, inquit, aut jam perfectus sim⁵. » Denique, fratres, ut cito agnoscatis, ipsi didicerunt orare quod oramus, ipsis data est regula postulandi, a Jurisperito cœlesti. « Sic orate⁶, inquit. » Et cum quædam præmisisset, posuit et hoc ut dicerent arietes nostri, duces ovium, et præcipua membra Pastoris, et congregatoris unius gregis : ipsi didicerunt dicere, « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris⁷. » Non dixerunt : Gratias tibi, qui dimisisti nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, sed, Dimitte, sicut dimittimus. Orabant autem utique jam fideles, utique jam Apostoli : nam ista oratio Dominica magis fidelibus datur. Si debita illa tantummodo dicerentur, quæ per baptismum dimittuntur : catechumenis congrueret magis orare, « Dimitte nobis debita nostra. » Dicant ergo Apostoli, dicant, « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Et cum eis dictum fuerit, Quare hoc dicitis? quæ

¹ Luc. xii, 4. — ² Id. xv, 21. — ³ Eccli. xi, 30. — ⁴ Psal. xxxviii, 1. — ⁵ Philip. iii, 12. — ⁶ Matth. vi, 9. — ⁷ Ibid. 12.

debita vestra? Respondeant : « Quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. »

VII. « Quoniam persecutus est inimicus animam meam, » humiliavit in terra vitam meam¹. » Vide nos, vide caput nostrum pro nobis : « Quoniam persecutus est inimicus animam meam. » Persecutus est plane et diabolus animam Christi, et Judas animam magistri : et nunc ad persecutionem corporis Christi idem diabolus manet, Judas autem Judæ succedit. Non ergo deest de quo dicat et corpus, « Quoniam persecutus est inimicus animam meam, » humiliavit in terra vitam meam. Humiliavit, inquit, in terra vitam meam. » Alio loco dicitur : « Curvaverunt animam meam². » Quid enim nobiscum agit, quisquis persequitur, nisi ut relicta spe cœlesti terram sapiamus, persecutori cedentes terrena diligamus? Et illi quidem, quantum in ipsis est, hoc agunt : nobis autem hoc non contingat, quibus dicitur : « Si resurrexistis cum Christo, » quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram : mortui enim estis³. » Nam non justificabitur coram Deo omnis vivens. Illi ergo vel aperte sæviendo, vel occulte insidiando conantur perducere vitam nostram ad terram. Contra hos vigilemus, ut dicere possimus : « Nostra enim conversatio in cœlis est⁴. Humiliavit, inquit, in terra vitam meam » inimicus.

VIII. « Collocaverunt me in tenebrosis, sicut mortuos sæculi. » Hoc a capite expeditius auditis, et expeditius hoc in capite agnoscitis. Ille enim pro nobis mortuus factus est, sed non mortuus sæculi. Qui enim mortui sunt sæculi? Et quomodo ille non erat mortuus sæculi? Mortui sæculi, merito mortui, mercedem recipientes iniquitatis, et mortem ducentes ex peccati propagine; ex illa

¹ Psal. cxliv, 7. — ² Id. lvi, 7. — ³ Coloss. iii, 1. — ⁴ Philip. iii, 20.

voce qua dicitur : « Ego enim in iniquitatibus conceptus » sum, et in peccatis mater mea in utero me aluit¹. » Venit autem ille per Virginem, assumens carnem, non iniquitatem carnis, assumens carnem mundam mundatricem. Illi autem quem peccatorem putabant, tanquam mortuum sæculi deputabant. At ille qui in alio Psalmo dixit : « Quæ non rapui, tunc exolvebam² : » et qui dixit in Evangelio, « Ecce venit princeps mundi, præpositus mortis, operis mali persuasor, supplicii exactor, » Venit, inquit, et in me nihil inveniet³. » Quid est, « In me nihil inveniet? » Nullam culpam, nihil quare mori debeam. « Sed ut sciant omnes quia voluntatem, inquit, » Patris mei facio, surgite, eamus hinc⁴. » Ut moriar, inquit, voluntatem Patris mei facio, non autem morte sum dignus. Nihil feci unde moriar, sed facio ut moriar : ut illi per innocentis mortem liberentur, qui habebant quare morerentur. « Collocaverunt me in tenebrosis, » tanquam in infernis, tanquam in sepulero, tanquam in ipsa passione, « Velut mortuos sæculi, » eum qui dicit : « Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos » liber⁵. » Quid est, liber? quare liber? Quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati⁶. Denique non solveret a vinculis, nisi liber a vinculis. Ille liber mortem occidit, vinculum vinxit, captivitatem captivavit, et collocaverunt eum in tenebrosis tanquam mortuos sæculi.

IX. « Et tædium, inquit, passus est in me spiritus » meus⁷. » Recordamini, « Tristis est anima mea usque » ad mortem⁸. » Videte vocem unam. Numquid non apparet ipse transitus a capite ad membra, a membris ad caput? « Tædium, inquit, passus est in me spiritus meus. »

¹ Psal. I, 7. — ² Id. LXXVIII, 5. — ³ Joan. XIV, 30. — ⁴ Ibid. 31. — ⁵ Psal. XXXVII, 5. — ⁶ Joan. VIII, 34. — ⁷ Psal. CXLII, 4. — ⁸ Math. XXVI, 38.

Agnosceamus, « Tristis est anima mea usque ad mortem. » Sed et illic nos eramus. « Transfiguravit enim in se corpus » humilitatis nostræ, conformans corpori gloriæ suæ¹ : » et vetus homo noster confixus est cruci cum illo². « In me » turbatum est cor meum. In me, » inquit, non in aliis. Illi enim me deseruerunt, et illi qui inhæserant recesserunt, et me ipsum quia mori videbant, aliud aliquid putaverunt, et a latrone victi sunt, qui tunc credidit³, quando illi defecerunt.

X. Inde ad membra. « Memoratus sum dierum anti- » quorum. » Numquid memoratus est ille dierum antiquorum, per quem factus est omnis dies? Sed loquitur corpus, loquitur unusquisque illius gratia justificatus, inhærens illi in charitate, et devota humilitate; loquitur, et dicit : « Memoratus sum dierum antiquorum, medita- » tus sum in omnibus operibus tuis⁴. » Quia utique omnia bona tu fecisti, et nihil constitisset, quod a te constitutum non esset. Creatura tua spectaculum mihi facta est : quæsi in opere artificem, et in conditis omnibus conditorem. Quare hoc? ut quid hoc, nisi ut hoc intelligeret quidquid in se boni esset, ab illo factum esse; ne ignorans justitiam Dei et suam volens constituere, justitiæ Dei subjectus non esset⁵; ut ei conveniret vox illa superior, « In veritate tua et in justitia tua? » In omnibus ergo Dei operibus, et meditatione omnium operum Dei gratiam insinuat, gratiam commendat, gratiam se invenisse gloriatur, gratiam qua gratis salvi facti sumus : quia et gratis salvi facti sumus. Quid gloriaris in tua justitia? quid te extollis, ignorans Dei justitiam? Dedisti forte aliquid, ut salvus esses? Quid dedisti, ut homo esses? Respice ergo conditorem vitæ tuæ, substantiæ et justitiæ et

¹ Philip. III, 21. — ² Rom. VI, 6. — ³ Luc. XXII, 40. — ⁴ Psal. CXLII, 5. — ⁵ Rom. X, 3.

salutis auctorem. « Meditare in facturis manuum ejus, » quia et justitiam, quæ in te est, ad manum ejus invenies pertinere. Audi Apostolum hoc te docentem : « Non ex » operibus, inquit, ne forte quis extollatur¹. » Opera bona non habemus? Habemus plane : sed vide quid sequitur : « Ipsius enim sumus figmentum², » dixit. Ipsius sumus figmentum : forte naturam, qua homines sumus, commemorare voluit, hoc appellato figmento. Non plane : de operibus loquebatur. Non, inquit, ex operibus, ne quis forte extollatur. Sed non conjiciamus, sequatur : Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis. Noli ergo putare te aliquid operari, nisi in quantum malus es. Averte ab opere tuo te, ad opus illius qui fecit te : ipse format, et ipse quod formaverat et tu exterminasti, reformet. Ut enim sis, ipse operatus est : ut bonus sis, si bonus es, ipse operatur. « Cum tremore, » inquit, et timore vestram ipsorum salutem operamini³. » Si nostram ipsorum salutem operamur, quare cum timore, quare cum tremore, cum sit in potestate nostra quod operamur? Audi quare cum timore et tremore : « Deus est » enim qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona » voluntate⁴. » Ergo cum timore et tremore, ut delectet in convalle operari artificem nostrum. Sic enim operatur tanquam in dejectis, qui judicat in gentibus, et replet ruinas. « In facturis manuum tuarum meditatus sum. » Vidi ergo, et inspexi opera tua ; quia nihil boni esse in nobis potest, nisi abs te fiat, qui nos fecisti.

XI. Et quid feci, cum viderem a te omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum esse, descendens a Patre luminum⁵, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio? Cum hoc viderem,

¹ Ephes. 11, 9. — ² Ibid. 10. — ³ Philip. 11, 12. — ⁴ Ibid. 13. — ⁵ Jacob. 1, 17.

aversus ab opere malo quod feceram in me, « Extendi » manus meas ad te. Extendi, inquit, manus meas ad » te : anima mea velut terra sine aqua tibi¹. » Complue, inquit, me ad faciendum fructum bonum. « Dominus » enim dabit suavitatem, ut terra nostra det fructum » suum². Extendi manus meas ad te : anima mea velut » terra sine aqua, » non mihi, sed « tibi. » Sitire tibi possum, me irrigare non possum. « Anima mea velut terra » sine aqua tibi : quia sitivit anima mea in Deum vivum³. » Quando veniam nisi quando venerit? Sitivit anima mea in Deum vivum : quia « Anima mea velut » terra sine aqua tibi. » Abundat mare, inundat, copiosum est, fluctuat, sed amarum est. Discreta est aqua, apparuit arida⁴ anima mea : irriga eam, quia « Velut » terra sine aqua tibi. »

XII. « Cito exaudi me, Domine⁵. » Quæ enim mora quando sic sitio, ad inflammandam sitim meam? Pluviam differebas, ut hauriens imbiberem, non respuerem quod influeres. Si ergo ideo differebas, jam da : quoniam « Anima mea velut terra sine aqua tibi. Cito exaudi me, Domine : defecit spiritus meus. » Impleat me spiritus tuus, quia « Defecit spiritus meus. » Ipsa est causa, ut cito exaudias, quia « Defecit spiritus meus. » Factus sum jam pauper spiritu, beatum me fac in regno coelorum⁶. In quo enim vivit spiritus ejus, superbus est, spiritu suo extollitur contra Deum. Fiat in illo bene quod alibi scriptum est : « Auferes spiritum eorum, et deficient, et in » pulverem suum convertentur⁷ : » ut confitentes dicant : « Memento quia pulvis sumus⁸. » Cum autem dixerint : « Quia pulvis sumus memento : » tunc dicant : « Anima mea velut terra sine aqua tibi. » Quid enim tam

¹ Psal. cxli, 6. — ² Id. lxxxiv, 13. — ³ Id. xli, 3. — ⁴ Gen. 1, 9. — ⁵ Psal. cxli, 7. — ⁶ Matth. v, 3. — ⁷ Psal. ciii, 29. — ⁸ Id. cii, 14.